

que pergere debeam in omnes praeceptoris sententias; causae verae mentionem tantum facio, nimirum Academiam Georgiam Augustam litteras illas quidem edidisse, sed non ob materiae praestantiam; verum ob nominis Tui gloriam. Quemadmodum magnorum virorum etiam minuta auide conquiruntur, non quia digna sunt ipsa, sed quia tantum nomen eorum prae se ferunt; ita et Academia, Te honore profecutura chartas denuo Tuas publicavit, ut benevolentiam erga Te suam ostenderet. Qua vero fide agitur cum celeberrimo hoc eruditorum confesso, qui in litteris his tamquam talis traducitur, ac si ipsas Pauli litteras tanti aestimauerit, ut quasi inaeestimabilem thesaurum statim curauerit eas propagari. Maior est eorum, qui hodie splendidam hanc musarum sedem illustrant, eruditionis heroum, sapientia, quam ut vel ad momentum talem eorum sententiam nobis fingere possemus. Sed quum istam maximorum virorum congregationem desiderio Tuo induxisses, ut festum Tuum celebrarent, non alium prudentissimi hi viri iuuenire potuerunt celebrationis modum, nisi publicationem ipsius Tuae epistolae, ac quarumdam aliarum ad eam pertinentium. Quam studiose colligunt historici diplomata priscorum temporum? Num omnia propter internam, qua eminent, praestantiam? Nullus hoc affirmabit historicus. Vilissima multa, quamuis antiqua, auide saepius conquiruntur, si modo minima ex iis illustrari possint adiuncta historica. Talem et ego in *Observationibus* meis p. 86. usum litterarum Paulinarum indicaui, ob quem et dignas habeo illas, quae typis sint mandatae.

Inquirat dein meorum quiuis alius, qua animi certitudine aliquis rerum probe gnarus possit adfirmare, *Academiae Goettingensis decus* (*Feuerlinus* intelligitur,) *litteras illas adeo singulari elogio decorasse, ut Tibi gratulandi occasionem inde ceperit, quod ipsas suffragio Tuo probaueris, atque euulgaueris, postquam atra nocte tamdiu pressae iacuerunt.* Quod ad posteriorem adfertionem Tuam attinet, quum dicis, *ATRA NOCTE*, et quidem *TAM DIU* pressas iacuisse litteras, quibus solis, his demum temporibus recta Catholicorum sententia possit perspici: quaero ex Te; igitur tam diu deprauata inter vos de Christo doctrina, tam diu decepta misera plebs, tam diu *atra nocte* sepulta vera et efficax concionandi norma? tam plane amissa in Ecclesia Romana doctrina orthodoxa, ut non aliter, nisi ex antiquo diplomata restitui queat? Non eruamus illud, episcope illustrissime, ex puluere Bibliothecae Mediolanensis, sed potius ex verbo Dei scripto, ex iis, quae elocuti sunt Prophetae et Apostoli. Quod  
ve-